

Schreber, I.C. D.
1759



I. C. D. SCHREBER I
NOVAE SPECIES
INSECTORVM

In contemplatione Naturæ
nihil superuacaneum.

PLIN.

CVM FIGVRIS AENEIS
COLORIBVS PICTIS

HALAE MAGDEBURGICAE
EX OFFICINA SCHNEIDERIANA MDCCCLIX.

E. MULSANT

PERILLVSTRI DOMINO

DOMINO

CAROLO LINNAEO

ORDINIS STELLAE POLARIS

EQVITI AVRATO

S. R. M. R. Q. SVEC. ARCHIATRO

MEDIC. ET BOTAN. PROF. IN AC. VPS.

ACAD. IMPER. N. C. VPSALIENS. HOLMIENS.

PETROPOL. BEROLIN. LONDIN. PARISIN. FLORENT.

MONSPEL. TOLOSAN. SODALI

PERILLVSTRIS DOMINE

Historia naturalis, cuius partes non tantum omnes ante TE, PERILLVSTRIS DOMINE, nil fere nisi rudis indigestaque moles erant, TVA opera reformata inque systematis formam redacta, noua facie superbit, nouoque splendore refulget.

Praesertim illa pars quae de insectis agit, TVA auxiliatrice manu in formam redacta, a TE semper in deliciis habitata est.

Hae rationes me mouent, vt pagellis hisce, in quibus magna aliqua DEI opera ex classe insectorum, ad praecepta TVA, delineare ausus sum, SPLENDIDVM TVVM NOMEN praefigere coner; felix omnino, si eas patrocinio TVO non prorsus indignas iudicaueris, cui me meosque qualescumque labores in posterum submitte commendo

PERILLVSTRIS NOMINIS TVI

cultor obsequentissimus

IOHANNES CHRISTIANVS DANIEL SCHREBER.



Nouas insectorum species rite determinatas denominatasque tradere, res magni momenti, nec tamen nostris temporibus, quibus insectorum cognitio nondum ad eam perfectionem euecta est, quam Botanice, admodum difficilis est. Apud antiquos enim parum certitudinis est; & quamuis scientia naturalis, inspecie pars quae de insectis agit, ope summi LINNAEI repurgata & certior facta sit, non tamen ultra 1500 species insectorum rite cognitae sunt.

Utilitas cognitionis insectorum, a PERILL. LINNAEO (in praef. *Faun. suec.* & *amoen. acad.*) pluribus rationibus euicta, & exemplum tanti Viri, incitamento mihi fuerunt, sedulam in his studiis operam collocandi. Nec me laboris hucusque poenituit, nec filum ariadneum *Linnaeum* me destituit; specierum ab ipso constitutarum certitudo, & nouarum, quae nondum systematice notae erant, multitudo, larga oblectatione laborem compensauerunt.

Ex horum numero nonnullas decerpere & publice proponere non sine metu ausus sum; arduum enim est, in tanto specierum apparatu genuinas differentias specificas eruere, & in tanta colorum differentia, quae plurium specierum
notas



notas subministrant, singulas aptis nominibus designare. Verum his difficultatibus me a negotio in honorem Dei & quaecumque scientiae augmentum suscepto deterreri non passus sum; maximo enim honori mihi duco, summi LINNAEI vestigia premere; & *in magnis voluisse sat est.*

Figuris ab amico harum rerum & artis pictoriae admodum gnaro, Dno. C. G. IAMPERT, delineatis sculptrisque, descriptiones illustravi; accurata enim figura requirit sculptorem systematis non ignarum, ne differentia specifica obscuretur aut pereat. Pulcritudinis semper minor habita est ratio quam exactae similitudinis, hinc umbrae omissae aut saltem obiter expressae, duae autem figurae, ne obtegerentur partes, coloribus non inductae sunt.

Quod reliquum est, illis FAVORIBVS atque AMICIS, qui ex speciebus hic recensitis quasdam suppeditauerunt, publicas ago gratias, praesertim *Pl. Rev. Dno. Archid. STEPH. SCHVLZ*, qui in itineribus suis insectorum indagationem sibi non dedecori esse credidit, & papilionem rarissimum ex Aegypto allatum, ad depingendum lubens concessit.

Si genuinis artis magistris conamina haec non displiceant, in hoc labore pergam; & si quis novas rarasque species mihi communicare voluerit, eius nominis in recensione earum, honorifica in posterum fiet mentio. Dabam Halae d. V. IAN. MDCCC LIX.

COLE.

COLEOPTERA.

I. SCARABAEVS (*Taurus*) capite cornibus duobus lunatis lateralibus.

Habitat in excrementis animalium, in comitatu Mansfeldico; Dresdae D. HEISE; Ratisbonae P. SCHAEFER (qui inuentor huius speciei est.)

M A S.



CAPUT rectum clypeo rhomboide aequali: apice obtuso, margine paullulum eleuato. Cornua ad nucham duo lateraliter retrorsum versa subulato-lunata, acuta, lateraliter compressa, capite sesquialongiora. Antennae breuissimae, apice perfoliato: lamellis tribus. Os paruum, maxillis fuscis. THORAX magnus conuexus, antice oblique truncatus paullulum excavatus. Scutellum nullum. ABDOMEN lineari-subrotundum obtusum, subtus conuexum subuillosum, magnitudine thoracis. ALAE aquaeae, pone plicatae, tectae elytris abdomine breuioribus planis pone dehiscentibus, obsolete striatis. PEDES breues, tibiis ferratis; plantis primi paris minimis. Color niger, abdominis splendens, elytrorum sordidior, thoracis in nonnullis aureo nitore obscuro permixtus. Magnitudo scarabaei nuchicornis (LINN. Fn. 354. ♀. ROES. scar. I. p. 15. t. A. f. 4.)

FEMINA.

CAPITIS clypeus rhomboidalis, antice emarginatus. Cornua ad nucham duo, capite breuiora, erecta, truncata, transuersim compressa, basi confluentia. Antennae vt in ♂. THORAX subrotundus



dus conuexus, antice excauato-truncatus: margine quadridentato,
 denticulis extremis distantioribus. ALAE, ABDOMEN, PEDES VI
 ♂; quo dimidio maior est.

OBS. Vidi feminam elytris flauis: striis obiter excauatis intus nigris;
 aliamque nostra multo minorem, elytris flauis nigro nebulosis,
 thorace nitido; Scarabaeo nuchicorni exacte similem, ita vt demto
 capite ab hoc discerni non potuerit; quae maximam vtriusque in-
 dicat affinitatem. Berolino huc transmissa fuit.

2. SILPHA (*quadripunctata*) nigra, elytris exalbidis: maculis
 quatuor nigris.

Habitat Halae ad cadauera infrequens.

CAPUT nigrum. Antennae nigrae clauatae, thorace breuiores.
 THORAX vt in reliquis, niger; clypeo, vbi prominet, ex albedo
 flauescente. Scutellum nigrum. ALAE tectae elytris exalbido-fla-
 uescentibus, singulo ad basin & infra medium macula orbiculata ni-
 gra magnitudine scutelli notato; hae in quadratum dispositae sunt.
 ABDOMEN nigrum pone coarctatum, villis flauescens. PEDES
 nigri, femoribus crassis, tibiis tertii paris incuruis. Magnitudo Sil-
 phae LINN. Fn. 386.

OBS. Mas colore saturatior & paullo minor est.

3. CERAMBYX (*lepturoides*) thorace mucronato, elytris apice
 emarginatis: punctis eleuatis scabris.

Habitat in Indiae orientalis litore Coromandel.

CAPUT supra fuscum, villis caesiis obsitum, ad collum maculis
 quatuor longitudinalibus caluis, vertice rufo-testaceo: medio longitu-
 dinaliter striato. Os nigricans. Oculi pone antennis excurren-
 tes, cuprei splendoris. Antennae in medio oculorum insertae, cor-
 pore fere sesquilongiores, articulis fuscis antrorsum albidis, basi pi-
 losis,



lofis, externis minoribus, secundo longissimo. THORAX vtrique obtuso mucrone armatus, marginatus, cinereo-caesio-versicolor, medio postice ad scutellum macula parua nigricante puncto impressa, & vtrique inter hanc mucronemque linea obliqua nigra eleuata. Intra has lineas ad collum puncta duo eleuata caesio-villosa, cum nigro in triangulum posita. Margo vterque thoracis punctulis confertis scaber. Scutellum paruum, caesio-villosum, concavum. ABDOMEN testaceum, postice spectatum caesio-villosum. ALAE corneae, tectae elytris sublinearibus pone coarctatis, colore testaceo-cinereo. Ad scutellum maculae aliquot caesia sparsae, quibus proxime subiacet fasciola angusta dentata transuersa: denticulis in singulo elytro duobus non ad marginem extensis. In medio cuiusvis elytri ad marginem est macula obliqua caesia medio compressa, antrosum & extrorsum umbra nigra terminata; aliaque lunulata in margine; vnde ad futuram porrigitur lineola obliqua nigra. Paulo deorsum ad futuram est alia macula caesia longitudinalis ouata, exterius terminata umbra nigra, quae sursum producit angulumque format, cuius alterum crus deorsum abit ad umbram aliquam fuscam in margine exteriori, spatium caesium amplexam, quae umbrae maculis his in directum iacent. Maculae quatuor in figuram trapezii dispositae sunt. Basis elytri, & umbra fusca quae in antica parte marginis est, punctulis nigris eleuatis confertis scabra est, quorum series aliquot parallelae futurae concurrunt ad angulum acutum. Apex elytrorum emarginatus est, fere vt in lepturis, caesio-villosus, desuper umbra fusca sinuata ad futuram obliqua circumdatus. PEDES anteriores longissimi, omnes nigro-albido-ferugineoque variegati; plantis nigris. Magnitudo cerambycis phar-macopoei, sed noster breuior latiorque est.

Icon & descriptio ex exemplari in spiritu vini per longum tempus asseruato facta est, qui colorem naturalem sine dubio nonnihil immutauit.

4. NECYDALIS (*umbellatarum*) elytris apice nigris.

Habitat in umbellatis.

CAPUT nigrum. Antennae corpore longiores fusco-nigrae. THORAX vt in congeneribus, fusco-niger, punctis impressis, hirsutus.

B

ABDO-

ABDOMEN fusco-nigrum hirsutum crassum, post inferiorionem pedum posteriorum lineari-productum obtusum alis rectum. ALAE cinerae, abdomine sesquialongiores, pone plicatae, postice nudeae, antice rectae elytris abdomine dimidio brevioribus fuscis, medio dilutioribus; apice nigris. PEDES testacei: *geniculis* globosis nigris; omnes hirsutiae flavae recti, postici longissimi. *Magnitudo* formicae minoris.

Femina mare paullo maior est, sed antennis brevioribus.

5. CICIÑDELA (*obscurior*) viridis, elytris punctis quatuor lineolaque alba.

Cicindela obsolete virens, forficulis luteis. *Fabric. anim. wett. 31.*

Habitat in campis prope Halam varius.

CAPUT vt in congeneribus, viride, oculis magnis nigricantibus, prominentibus. Antennae setaceae atrae. Forfices magni nigri, labio, albido supra recti. THORAX angustus rotundatus viridis, exacte vt in congeneribus. ABDOMEN caeruleo viridi-aeneum. ALAE rectae elytris planiusculis laevis saturate viridibus, punctis in singulo duobus albis, primo ad baseos angulum, secundo in medio marginis exterioris. Apex lineola alba notatur, quae in margine exteriori terminatur puncto albo. PEDES longissimi, tenuissimi, viridi-rubroque aenei. *Magnitudo* cicindela ripariae, sed paullo maior.

Synonymum maxime dubium, vt pleraque huius auctoris.

Datur varietas elytris caeruleis s. cynaneis nitidissimis, caeterum parum differens.

6. CICIÑDELA (*pufilla*) obscure viridi-aenea.

Habitat in arenosis muscosis in der Heide prope Halam.

Structura exacte vt in congeneribus, sed totum animalculum magis depressum & complanatum. Color capitis, thoracis, elytrorum

ex



ex fusco-viridi aeneus. *Vertex* depressus, lineis longitudinalibus striatus. *Antennae* brevissimae; *os* minus quam in reliquis, nigrum. *Thorax* medio linea longitudinali & postice vtrinque puncto impressus. *Elytra* punctis minimis excavatis striata, antice in medio puncto impresso maiori. *Abdomen* atro-virens. *Magnitudo* muscae minoris.

Celerime currit vti congeneres, & insecta minora praedatur.

HEMIPTERA.

7. *CICADA* (*cornuta*) thorace bicorni pone producto. *Linn.*
fn. 641.

Habitat Halae in der Heide in quercu; Dresdae D. HEISE.


CAPUT paruum obtusum. *Aculeus oris* niger, longitudine thoracis. THORAX maximus, antice truncatus, supra planiusculus, vtrinque coronatus cornu acuto depresso horizontali; pone productus in *carinam* subulatam acuminatam trigonam: medio inflexam. *Scutellum* magnum sub carina. Caput, thorax, carina thoracis & scutellum fusca, innumeris creberrimisque punctis excavata, pilis flavescentibus obsita: carina rarioribus. ABDOMEN nigrum triquetrum subrus villis niucis obsitum. PEDES saltatorii, testacei, *femora* atra; *tibiae* marginibus scabrae. ALAE superiores *f. elytra* ovato-lanceolata, cornea, venis flavis, macula fusca in margine interiore; inferiores aqueae venis nigris. *Magnitudo* muscae domesticae.

Habitat quoque in salice. LINN. amoen. acad. 3. p. 369.

Perill. LINNAEVS animaleculum tantum mutilum, duabus alis orbatum, vidit, vt ex descriptione eius patet; alas quatuor expansas cum carina & scutello subiacente, exhibet fig. nostra 4.

8. *CICADA* (*cristata*) thorace bicorni: corniculis subrotundis.

Habitat Halae in der Heide.



FEMINA.

CAPUT antice productum in clypeum planum obrusum, lineis tribus elevatis diuergentibus notatum, sub quo *antennae* brevissimae exalbidae & *rostrum* breue pectorale. THORAX antice truncatus gibbosus, punctis excavatis inaequalis, sustinens *cornua* duo obliqua subrotunda lateraliter compressa, margine leuissime crenata, quasi auriculas aut cristas duas; pone non productus ut in praecedente, sed emarginatus pro insertione *scutelli*, quod itaque quasi rhomboidale apparet. Color capitis & thoracis testaceus, passim obscurior, praesertim corniculorum. ABDOMEN fuscum triquetrum. ALAE corneae, venis reticulatae. PEDES saltatorii testacei obscuri, *tibiis* compressis margine ferratis ciliatisque: postici longissimi. *Magnitudo* muscae carnariae maximae.

MAS.

Dimidio minor; differt colore corporis obscuriore, corpore subrus albido, *pedibusque* corneis; *alis* maculis tribus exalbidis: duabus in margine exteriori, unica in interiori.

LEPIDOPTERA.

9. PAPILIO (*aegyptius*) hexapus, alis integris: apicibus nigris albo-maculatis.

Habitat in Aegypto prope Damiate, captus & communicatus a pl. rev. Dno. STEPH. SCHVLZ, Archidiacon.

CAPUT & THORAX nigra, maculis pluribus minoribus albis a tergo & subtus notata. *Antennae* nigrae clauatae. Os album, *lingua spirali* longa nigra. ALAE integerrimae, *superiores supra* margine antico & postico nigrae. Dimidium alae, apice tenus, nigra; ad apicem alae, non vero in margine, maculae tres albae, extrema bipartita; sub his fimbria alae alba. Prope basin nigredinis, alae transuersae diuidunt maculae albae obsolete quadrangulares sex: exterioribus minoribus longioribus, interiori remotiore, composita e macu-


maculis quatuor parvis albis: alternis minoribus. Reliqua pars alae saturate fusca, versus marginem interiorem dilutior, versus apicem circumscripta lobis quinque rotundis: ultimo minimo; ad angulum cuiusvis, praeter ultimum, in area nigra, est punctum album paruum. *Inferior pagina* alae superiori similis; margines omnes, excepto inferiore, nigri albo punctati. Area inter apicem & maculas transuersas lutea. Discus lobis obsoletioribus circumferibitur: punctis duobus albis iuxta primum. *Alae inferiores pagina superiori* luteae introrsum dilutiores, ad anastomosis venarum macula fusca; margine postico nigro introrsum dentato, punctulis albis ornato. *Pagina inferior* lutea, venis albis, ad quarum anastomoses maculae nigrae albedine cinctae. Margo niger superius inaequalis, maculis parvis albis. Basis alae cingitur maculis paucis nigris albisque alternis. ABDOMEN fuscescens, dilutius quam superiores, saturatius quam inferiores alae: subtus albicans. PEDES sex nigri, introrsum albi.

Figura ad exemplar in libro compressum & siccatum facta, hinc abdomen paullo extra situm pictum est.

10. PHALAENA (*simbriata*) feticornis spirilinguis, alis superioribus virente-carneis, inferioribus fulvis: fascia nigra marginali.

Habitat Halae in der Heide, in betula.

CAPUT & THORAX ex carneo lutea, subtus alba. Vertex capitis luteus. Antennae thorace longiores, liuidae, hinc ferrugineae. Oculi nigri. ABDOMEN depresso, supra aurantii coloris; apice pilis fuscis; subtus exalbido-cinerei. ALAE superiores coloris ex cinereo carnei; notatae ad basin lineola fusca transuersa obliqua interius euanescente; ad tertiam partem longitudinis alae alia transuersa obliqua parum flexuosa, fusca, intra quam, & praecedentem, versus marginem posticum, umbra ad virentem colorem vergens. Hinc ad medium alae pertinet fascia lata transuersa ex cinereo dilute carnea, antice linea ovali dilutiore vix conspicua notata.



Sub hac a medietate alae, fascia lata transuersa virescens medio inflexa; margine exteriori linea alia ouali carnea priori contigua notata. Hanc fasciam terminat postice linea transuersalis albida, medio retrorsum flexa: sub qua fascia carneo-cinerea angustior, exterius virescens: punctis duobus albis in margine exteriore. In margine postico alae fascia alia paullo angustior, magis ad virentem colorem inclinans, a contigua separata lineola albida transuersa. Circumscriptio marginis postici crenata fusca. *Alae inferiores* aurantii coloris, fascia lata nigra marginali. *Subtus* alae superiores aurantiae, margine postico exalbidae, fascia longitudinali nigra, basi bipartita; inferiores saturatius aurantiae, fascia nigra vt supra, sed apice exalbido. *PEDES* longi albidi.

Similis est haec phalaenae togatae. LINN. Fn. 870. a qua diuersa est colore maculisque alarum superiorum, & alis inferioribus saturatis luteis, fascia marginali triplo fere maiore & intensius nigra.

Rarissima est, semel tantum inuenta recens ex puppa exclusa, insidens betulae trunco.

H Y M E N O P T E R A.

- II. *APIS (clypeata)* nigra, abdomine fasciis sex flauis: primis duabus interruptis, tibiis anticis lamellis integris.

Habitat in umbellatis Halae.

CAPUT nigrum cinereo-villosum, antice truncatum, pone conico-productum: punctis excauatis adpersum. *Antennae* longitudine capitis, nigrae. *Oculi* magni fusci prominentes, inter quos in vertice puncta tria nigra splendentia. *THORAX* ouatus magnus niger cinereo-villosus punctis excauatus. Antice supra insertionem pedum primi paris vtrinque, & in apice thoracis, punctum flauum. *ABDOMEN* thorace paullo maius, ouatum vix petiolatum nigrum: supra fasciis sex flauis transuersis: primis duabus maximis interruptis: priori vtrinque puncto nigro in flauedinis medio. *Subtus* in medio macula magna quadrata & lineola sub hac flaua. *ALAE*

in

in medio thoracis insertae nervosae corneae: *superiores* margine crassiori ferrugineo. *PEDES* omnes lutei; *primum par* articulo primo & secundo compresso: primo a latere macula fusca villis longis hirsuta, secundo flavo subvillosa; tertio f. *tibia* hinc munita clypeo obtuse quadrangulo, pellucido, punctis non perforato, flavo, margine antico lineis tribus atro-fuscis: spatio interiecto dilutiore. *Tarsi* articuli clypeati flavi, marginibus fuscis; ultimo acuminato, a latere ungula instructo. *secundum par femoribus* subtus nigris, *plantis* fuscis. *tertium par femoribus* hinc flavis, inde nigris, *tibiis* subtus nigris. *Magnitudo* ap^{is} auratae LINN. Fn. 1004.

Ap^{is} cribraria ROLAND. act. holm. 1751. t. 3. f. 1-3. a nostra differt magnitudine & toto habitu, praesertim clypeis maioribus nigris perforatis. Habitat quoque in umbellatis, praesertim in aegopodio, sed apud nos loco plane diverso.

Figura ap^{is} nostrae f. 3. abdomen petiolatum non recte exprimit, nec lineas abdominales flavas distinctas monstrat, sc. ob parvitatem & situm animalculi.

DIPTERA.

12. OESTRVS (*balensis*) abdomine albo nigroque versicolore.

Habitat Halae ad cadauera rarissime.

CAPUT magnum. Oculi parvi respectu capitis, elegantissime versicolores. Inter hos *cera* aurea, punctis nigris excavatis nebulosa, e quorum quovis setula exit. In *vertice* puncta tria nigra, seta coronata. In medio capitis frontisque caavernula bilocularis, cui insertae sunt *antennae* tenuissimae brevissimae nigrae vix conspicuae, constantes ex globulo seta terminato. Os nullum, sed loco eius tubercula tria nigra ut in vertice. Regio sub oculis albida. THORAX exalbidus nitidus, utrinque punctis nigris elevatis per ordines dispositis seta coronatis scaber: transversim sulco bipartitus supra tantum conspicuo; subtus pilis longis flavis vestitus. ABDOMEN ovatum, (fere ut in tenthredinibus) *supra* nigrum, pulvere niueo feri-



fericeo verficoloze tectum, vnde colores pro diuerso oculi situ variant; praeterea pilis raris flauis confutum est. *Subtus* fascia intermedia albida longitudinalis, composita, ex plicis longitudinalibus: medium fasciae occupant maculae cordatae griseae. f. murini coloris, intus puncto nigro. ALAE duae vitreae undulatae, fusco-venosae; punctulis aliquot nigricantibus adpersae. Ad apicem thoracis vtrinque *squamula* duae lacteae (vt in muscis LINN. *Fn.* 1101. 1102.) sub quibus *halteres* parui reconditi. PEDES ferruginei, pilis nigris hirsuti. *Magnitudo* apis domesticae.

Descriptio haec ex viuo animalculo facta est, post mortem colores paululum immutantur.

CONSPECTVS SPECIERVM ET FIGVRARVM

1. Scarabaeus Taurus. *mas* F. 6. *fem.* F. 7. *caput* F. 6: a.
2. Silpha quadripunctata F. 5.
3. Cerambyx lepturoides F. 10.
4. Necydalis umbellatarum.
5. Cicindela obscurior.
6. - - - minima.
7. Cicada cornuta F. 3. 4.
8. - - - cristata F. 2. *mas.* 1. *femina.*
9. Papilio aegyptius F. 11. 12.
10. Phalaena fimbriata F. 9.
11. Apis clypeata F. 8. *pes.* 8: a & *caput.* 8: b. *magnitud. aucta.*
12. Oestrus halensis.



61792